



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

1 Absolutio ab vna censura, aut dispensatio ab vna irregularitate ad alias non extenditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

narum licet, nisi hic excessus ex capite lucri cessantis, vel damni emergentis iustificetur, vel intra iustæ præij latitudinem includatur, ita Natarr. in Man. c. 3. num. 79. Quæ præij latitudo maior est in re maioris valoris, exceditque præij, quo communiter præsentij pecunia vendi potest.

## DECISIO XLI.

Ex cons. 30. in Novis, deest in antiq.

- 41 **C**ambia si non solvantur in primis nundinis cum debito lucro, & fortè principali, recambium pro secundis, tertijs, & quartis fieri potest, donec omnia solvantur, dummodo non maiori lucro, quàm pro primis fiat.

## TITVLVS XIV.

## De Crimine falsi.

S V M M A R I V M.

- 1 Falsarij literarum beneficialium peccant, & cui restituere tenentur.
- 2 Mutare sibi nomen sine fraude, nisi seruus sit, cuiuslibet licet.
- 3 Mendax non est, qui per additionem mentalem supplet locuti nem exteriori.
- 4 Confessario, an, & quomodo credendum sit.

## DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 10. de iniur. & damno dato.

- 1 **I**mpetrans pro absente beneficium a sede Apostolica, & habita signatura confingens literas falsas, per quas absens ignorans accipit possessionem eius, & soluit impensas literarum, perinde ac si iuste per Cancellariam fuissent expeditæ, peccat, & ad restitutionem tenetur ei, a quo eas accepit, ratione acceptationis ob causam ea non secuta; ff. de conduct. causa dat. & C. de conduct. ob causam cum data illi fuerint ad expediendum veras literas, quæ non fuerant expeditæ, a qua restitutione excusatur, si eas literas super signatura valida postea expeditæ faciat, cum sic causa, ob quam eas accepit, consecuta sit.

## DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 6.

- 2 **M**utare sibi nomen ad aliquid acquirendam cuius licet, si i. C. de mut. nom. & leg. falsi. ff. ad l. Cornel. de fals. dammodo seruus non sit, aut nisi ad fraudandum, aut damnificandum creditores, aut alios id faciat, d. l. falsi.

## DECISIO III.

Ex cons. 1. in Novis, deest in antiquis.

- 3 **M**endax non est, qui per additionem mentalem supplet exteriori locutioni id, sine quo mendax fuisset, sed neque mendacium alias de se non mortale per solam circumstantiam, quod in iudicio dicitur, mortale efficitur, nisi alia circumstantia addatur, puta iuramentum de veritate dicenda, aut damnum inde notabile accusatori ob pernam talionis, aut Reipubl. cuius notabiliter interest crimina punire, sequatur.

## DECISIO IV.

Ex cons. 2. in Novis deest in antiq.

- 4 **C**onfessario asserenti aliquid fieri, vel non fieri posse, penitens credere potest, & licet postea scrupulus oriatur, cum deponere potest.

## TITVLVS XV.

## De Sortilegijs.

S V M M A R I V M.

- 1 Oratione vana ad futura scienda utens peccat, non est tamen excommunicatus.
- 2 Pulverem ex cerebro hominis raso, contra morbos, an efficere liceat.

## DECISIO I.

Ex cons. 1. in utrisque.

- 1 **V**Tens oratione, & verbi bonis, & sanctis etiam ad Deum directis, interponendo tamen aliqua vana, scilicet orando per pulchrum viridarium, aut per palatium delectabile, per aquam currentem, ignem vrentem, ante cubitum, & cū candela benedicta, & alia huiusmodi observans ad finem, ut futura a Deo revelentur, etiam præmissa protestatione, quod demones consulere non intendat, peccat, & superstitionem admitti, quamvis enim per se peccatum non sit desiderare scientiam futurorum, scire tamen illa observando aliqua vana, quæ neque sua natura, neque ex ecclesiæ institutione vim impetrandi revelationem habent, & in quibus Dæmonse facile immiscere solet, peccatum, & superstitio est; 26 quæst. 1. 2. 4. & 5. & S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 2. excommunicationem tamen Bullæ cœnæ non incurrit, cum ea non excommunicet nigromanticos, nec alios superstitiosos, qui non sunt hæretici, aut ad hæresim concipiendam per tenerunt.

## DECISIO II.

Ex cons. 2. in utrisque.

- 2 **P**ulverem ex cerebro hominis mortui raso, contra morbum caducæ, vel alium ex privilegio particulari, Medicis, Chirurgis, & Pharmacopolis efficere licet.

## TITVLVS XVI.

## De Clerico excommunicato ministrante.

S V M M A R I V M.

- 1 Absolutio ab una censura, aut dispensatio ab una irregularitate ad alias non extenditur.
- 2 Excommunicatus fructus beneficij legitime obtenti perdit, tamen irregularis sit.
- 3 Excommunicari potest absens, & ignorans, sed celebrando non peccat, nec sit irregularis.
- 4 Ordinatus presbyterio ante legitimam ætatem est suspensus, & irregularis.
- 5 Suspensus, interdictus, vel excommunicatus, collectam in choro dicens, sit irregularis.
- 6 Excommunicatus coram se celebrari faciens est irregularis, non tamen si simpliciter sacrum audiat.
- 7 Irregularitatem non incurrit, qui probabiliter se excommunicatum ignorans celebrat.
- 8 Excommunicatus Eucharistiam de manu alterius clerici accipiens non sit irregularis.
- 9 Illegitimus sine dispensatione, et cum falsis dimissorijs promotus, quando sine dispensatione celebrare possit.
- 10 Episcopus simoniacum in beneficio an absolvere, et cum eo dispensare queat.

## DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 16.

- 1 **Q**ui in quatuor censuras excommunicationis incidit, & celebrando in illis incurrit irregularitatem, & manens in ea beneficium obtinet; si postea obtineat absolutionem



tionem & censuram excommunicationis duabus de causis incurris, & dispensationem super irregularitate incurra, ex celebratione contra excommunicationem duabus de causis incurram; Quamuis absolutio ab illis duabus excommunicationibus ob illas duas rationes incurris, & dispensatio similiter super irregularitate incurra ex celebratione contra excommunicationem duabus de causis incurram, validæ sint, non tamen extenduntur absolutiones illæ, vel dispensationes ad alias duas excommunicationes, & irregularitates alijs de causis incurris; cap. ex parte. de ordin. & c. cum pro causa. de sent. excom. Et proinde noua opus est absolutio ab alijs excommunicationibus, & dispensatione aliarum irregularitatum, & noua retentione beneficij in statu irregularitatis quaesiti; cum voluntas Papæ aliquem habilem ad retinendum beneficium facere uolentis, non obitante vna irregularitate sibi expressa, ad retentionem eiusdem, non obstante alia irregularitate, quam nec ipse nouit, quæque ipsi non exprimitur, non videatur extendi.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 14.

**E**xcommunicatus celebrans, & ob id in irregularitatem incidens, fructus, & distributiones beneficij ante obtentum perdit non ratione irregularitatis, ut sentit Innoc. in cap. cum nobis. de concess. preb. sed ratione excommunicationis: cap. Pastoralis. de appellat. unde qui solus irregularis est, nec fructus propter irregularitatem, nec distributiones beneficij iuste habiti ante irregularitatem incurram perdit.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 13.

**A**bsens, & ignorans, quamuis excommunicari possit, celebrando tamen nec peccat nec irregularis efficitur: ex Glof. in c. Apostolica. de cler. exc. min. dummodo ignorantia sit probabilis; cum irregularitas sine contemptu non incurritur. ex Pan. in cap. Pastoralis. §. verum. de appella. collatio tamen beneficij facta tali excommunicato etiam ignorantis, nulla & irrita est. ut ait Glof. in d. cap. Apostolica. & Nau. in Mao. cap. 27. num. 271.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. alias 8.

**A**ssumens presbyteratum ante legitimam ætatem, ipso iure suspensus est; ut patet per Extrau. Pij 11. Cum ex factore. n. & si post illum assumptum ordine sacro utatur, irregularis efficitur; & proinde cum ordinatus presbyterio simul cum episcopo consecratur, & ordine presbyteratus utitur postquam illum assumpsit, eo ipso quod quis ante legitimam ætatem presbyter ordinatur, irregularis efficitur. ita Nau. in Man. c. 25. nu. 70.

DECISIO V.

Ex consil. 5. alias 10.

**S**uspensus, interdictus, vel excommunicatus collectam in choro, ut hebdomadarius dicens irregularis efficitur; ex Innoc. in cap. si. de excess. præl. cum actum certo ordini deputatum solenniter exerceat. ex Nau. in Man. ca. 27. nu. 247.

DECISIO VI.

Ex cons. 1. in Nouis, deest in antiq.

**E**xcommunicatus, quamuis simpliciter sacrum audiendo irregularis non fit, si tamen celebrat, aut coram se auctorizando puta si Episcopus, aut Parochialis Ecclesiæ pastor, celebrari coram se faciat, irregularis efficitur, c. Illud. de cler. excom. ministr. & Glo. in Clem. Archiepiscopo. ver. celebrari, de priuil.

DECISIO VII.

Ex cons. 2. in Nouis, deest in antiq.

**I**rregularitatem effugit excommunicatus, qui probabiliter ignorans se talem celebrat; fecus si ignorantia non sit probabilis, & multo minus si sit affectata, cap. Illud. de cler. excomm. ministr. & Nau. in Man. ca. 23. nu. 45.

DECISIO VIII.

Ex cons. 3. in Nouis, deest in antiq.

**E**xcommunicatus Clericus excommunicatione maiore, sciens, aut scire debens se talem, etsi accipiendo ordine irregularitatem incurrat; fecus tamen si Sacramentum Eucharistiæ de manu alterius Clerici accipiat, cum hoc nullibi, sicut illud, in iure expressum sit; & irregularitas non nisi in casibus a iure expressis incurritur. cap. is. qui. de sent. excom. in 6.

DECISIO IX.

Ex cons. 6. in Nouis, deest in antiq.

**I**llegitimus sine dispensatione, & cum falsis dimissorijs promotus, & postea a Papa a dictis excessibus, & infamia absolutus, cum suspensione ad certum tempus, eo transacto, sine alia dispensatione celebrare potest.

DECISIO X.

Ex cons. 18. in Nouis, deest in antiq.

**Q**uamuis excommunicatio ob simoniam in beneficio incurra Papæ reservata sit, ut habetur per Extra. 2. de simo eo ipso tamen quod, & per Conc. Tri. sess. 24. de ref. ca. 6. Episcopus ab omnibus casibus etiam Papæ reservatis facultatem absolventi habeat, nec ullus talis sit, qui excommunicationem annexam non habet, ex Nau. in Man. cap. 27. num. 261. utique ex eisdem Conc. facultate, episcopus ab excommunicatione simoniacum in beneficio absoluit, & super irregularitate ob celebrationem factam post simoniam commissam incurra, (cum modo simonia oculata sit) dispensare valet; quandoquidem qui totum dicit, nihil excludit. cap. Solita. de Maior. & obed.

TITVLVS XVII.

De Clerico non ordinato ministrante.

SUMMARIVM.

- 1 Irregularis non assistens Diacono baptizanti aliter, quam auctorizando.
- 2 Irregularitas occulta est ex actu publico, super qua dispensat Episcopus, si videntes ignorem eum esse delictum.
- 3 Excommunicatus in vna diocesi, & celebrans in alia, ubi nescitur, est irregularis.
- 4 Irregularis fit, qui utitur ordine sacro, quem non habet, nec potest ascendere.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 4.

**P**arochus dans licentiam Diacono baptizandi solenniter, & eidem assistens sola causa corrigendi eum, si erraret, irregularitatem non incurrit, quamuis Diaconus ipse irregularis sit; cap. 1. de cle. non ordin. min. cum nemo illum inclurrit nisi in casibus a iure expressis; c. is qui. de senten. excom. in 6. fecus si auctorizando, aut mandando assisteret. sic enim & Parochus irregularis redderetur. Cle. Archiepiscopo de priuile. & ibi glo. verb. celebrari, parochus autem accusato, & dicenti se solum causa corrigendi, & non auctorizanti assistisse, in dubio credi debet, saltem si id iureiurando affirmet: Quia in his, quæ ex animo alicuius pendunt, ei saltem iuranti credendum est; cap. significasti. de homicid. & actus, qui delictum, aut non delictum commode interpretari potest, interpretari debet non esse delictum. cap. 2. de reg. iur.

DECISIO II.

Ex cons. 2. in vtrisque.

**D**iaconus solenniter publice coram multis baptizans, & proinde irregularitatem incurrens, cap. 1. de cler. non ord. ministr. cum id presbyteri munus sit, ab Episcopo dispensat.